

## Analecta Laertiana

scripsit

Fridericus Nietzsche.

### I.

Laert. I 1. Τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔργον ἔμοι φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι· γεγενῆσθαι γὰρ παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις καὶ Ἀσσυρίοις Χαλδαίοις καὶ Γυμνοσοφιστὰς παρὰ Ἰνδοῖς παρὰ τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλονυμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέοντας· καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ καὶ Σωτίων ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ τῆς διαδοχῆς. I 7. ὡς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ φησὶν δὲ Σωτίων.

Quamquam eis, qui ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ verborum integritatem venditant, haud infirmum auxilium inde videtur accrescere, quod illa brevi tantum spatio intermisso sine ulla litterarum mutatione redeunt: graviorem tamen his verbis inhaerescere errorem, quem in priorem locum socordia oculorum, iudicii pravitas in alterum invexerit, ex accuratiore intellegitur Sotionei libri cognitione. Primum enim ubi, quaeso, Sotion de philosophiae origine a barbaris repetenda disserere debuit, nisi in ipsius libri prooemio? At potuisse eum in tanti operis ambagibus eandem rem alibi quoque attingere velut in libro vicesimo tertio lubenter concederemus, nisi huius libri memoria aliis obnoxia esset difficultatibus. Quid quod nullo ingenii artificio nobis fingere possumus, qualem materiem Sotion libro tredecimo et sequentibus novem substruxerit: immo certis usi indiciis iam Panzerbieterus (Seeb. ann. suppl. V. p. 211 ss.) ac Roeperus (Phil. vol. III p. 22 ss.) Sotionem statuerunt duodecim libris totam philosophiae graecae successionem absolvisse: qui numerus eo haud mediocriter stabilitur, quod Heraclides Lembus Sotionis διαδοχάς in sex redegit libros. Cf. Laert. V 93 γε-

γόνασι δ' Ἡρακλεῖδαι τεσσαρεσκαίδεκα — πέμπτος Καλλαπανος (Καλαπάνος Scheurleerus in dissert. de Demetr. Magn. p. 77) ḥ Ἀλεξανδρεὺς γεγραψὼς τὴν διαδοχὴν ἐν ἔξι βιβλίοις καὶ Λεμβενικὸν λόγον, ὃθεν καὶ Λέμβος ἐκάλεστο. Significari huius tituli exilitate τὴν τῶν Σωτίων διαδοχῶν ἐπιτομὴν, ad quam Laertius varia excitandi ratione exhibita persæpe provocavit, adpositus τὴν articulus comprobat: id quod etiam Bahnschius<sup>1</sup> recte perspexit. — In verbis igitur obscurissimis ΕΝΤΩΙ ΕΙΚΟΣΤΩΙ ΤΡΙΤΩΙ explicandis coniectandi opera supersedere non possumus: quamquam multum abest, ut Roepero adstipulemur ludibunda manu iacenti, non conicienti ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ. Nonne vero omnibus eximimur serupulis dummodo leni mutatione ΕΝΤΩΙ ΕΙΚΑΓΩΓΙΚΩΙ scribatur? Vt igitur Laertius itemque eius auctor Diocles in prooemio de origine philosophiae egerunt, sic Sotio ἐν τῷ εἰσαγωγικῷ τῆς διαδοχῆς: facillime autem fieri potuit, ut librarius in his litteris paullulum obscuratis numerum delitescere opinatus ex ΕΙΚΑΓΩΓΑ formaret ΕΙΚΟΣΤΩΙ, ex ΓΙΚΩΙ ΤΡΙΤΩΙ<sup>2</sup>, eundemque errorem etiam in alterum transferret locum.

## II.

Lart. I 16. Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν κατέλιπον ὑπομνήματα, οἱ δὲ ὅλως οὐ συνέγραψαν, ὡσπερ κατά τινας Σωκράτης Στίλπων Φίλιππος Μενέδημος Πύρρων Θεόδωρος Καρνεάδης Βρίσων. κατά τινας Πυθαγόρας, Ἀρίστων ὁ Χῖος πλὴν ἐπιστολῶν δίλγων. οἱ δὲ ἀνὰ ἐν συγγραψαντες Μέλισσος Παρμενίδης Ἀναγαγόρας· πολλὰ δὲ Ζήνων, πλείω Ξενοφάνης, πλείω Δημόκριτος, πλείω Ἀριστοτέλης, πλείω Ἐπίκουρος, πλείω Χρύσιππος.

Quod plerumque fieri solet, ubi longior nominum series varias variorum librariorum manus ingeniaque experta est, id etiam hoc loco factum esse vix quemquam acrius inquirentem fugiet. Haud dubie enim Φίλιππος inlitteratus philosophus scrupulos movet, cum

<sup>1</sup> Nuperrime mihi insperati quidquam contigit. Commilitonem enim eorundemque studiorum participem me nactum esse non sine laetitia e dissertatione Friderici Bahnschii comperi, cui titulus inscriptus est 'Quaestionum de Diogenis Laertii fontibus initia'. Gumbinnae.

<sup>2</sup> ΤΡΙΤΩΙ et ΠΡΩΤΩΙ cum constet sexages in libris mss. confundi, Laertio non dubitamus illud τρίτῳ pro eo quod vulgatur πρώτῳ vindicare VI 80. Sosicrates enim successionum ordinem persecutus nescio quo pacto iam in primo libro de Diogene Cynico disserere potuerit: accedit autem, quod ex alio testimonio VI 13 conligendum est Cynicis in tertio Sosicratis libro locum esse destinatum.

nullum huius nominis philosophum compertum habeamus, cui iure illa scribendi contemptio tribui possit. Nihil ad rem Philippus Opuntius nobilis ille mathematicus, astronomus, Platonicus, cuius scriptorum indicem Suidas v. φιλόσοφος (cf. Bernhard. p. 1490. Laert. III 37) exhibit. Quis autem alterum quendam Philippum, τὸν Μεγαρικόν, dici putet, hominem obscurissimae memoriae, de quo nihil traditum est nisi quod Laertius II 113 ex eius libro αὐτολέξει deprompsit. Neque ad oblivionem memoriaeque tenuitatem confugere licet, quoniam in inlitteratorum philosophorum indice clarissima tantum nomina locum tenuisse res ipsa clamat: cuius enim scire interest, num Titius vel Marcus a scribendo abstinuerint? Cum igitur de Φίλυππος vocis corruptione cogitandum sit, verisimilem corruptionis viam exempla monstrant aliunde collata: veluti quod Laertii codices V 36 et Λευκίππου et Λακίππου et Ἀλκίππου suppeditant. Deinde quod Philo Iudeus in libro περὶ φυτονογίας inscripto Ἀρίστιππος et Μένιππος confundit, Suidas autem Μένιππος et Ἐδμιππος: nullus enim est Menippus comicus (cf. Demetrius Magnes ap. Laert. VI 101) et errasse comparet Meinekium in vind. Strabon. p. 234 ss. et in Comic. Graec. vol. V p. 12. Conicuat forsitan etiam nostro loco quispiam Menippi nomen esse instaurandum adlato Laertii testimonio VI 100 ἔνοι δὲ τὰ βιβλία αὐτοῦ οὐκ εἶναι ἀλλὰ Διονυσίον καὶ Ζωπύρον τῶν Κολοφωνίων, οἱ τοῦ παιζειν ἐνεκα συγχράφοντες ἐδίδοσαν αὐτῷ ὡς εὐδυναμένῳ διαθέσθαι. Neque deest forte, qui Leucippi memoriam in indice redintegrare studeat, homo audaculi ingenii, utpote qui non solum Theophrasti (Laert. IX 46) spreverit auctoritatem iam ab Antisthene, Demetrio Magnete, Hippoboto (Laert. IX 39 cf. Suid. v. Δημόκριτος) contemptam: verum etiam Aristoteli nullam habuerit fidem diserte de Leucippi scriptis dicenti (cf. Val. Rose de Aristot. libr. ord. p. 12. Bergk in Mus. Rhen. nov. XIX p. 604). Tertius vero idemque locupletissimus eiusdem loci competitor, Aristippus Cyrenaeus praesto est, qui a quibusdam optimi nominis criticis inter inlitteratorum numerum habitus est cf. Laert. II 84 Mus. Rhen. nov. XXIV 187 οἱ δὲ οὐδὲ ὅλως γράψαι ὥν ἔστι καὶ Σωσικράτης καὶ Παναίτιος δὲ Ρόδιος. Ad eiusdem autem Panaetii auctoritatem complures eiusdem indicis notationes redeunt: veluti quod Aristo Stoicus nonnullis exceptis epistulis nihil scripsisse dicitur cf. Laert. VII 164 Παναίτιος δὲ καὶ Σωσικράτης μόνας αὐτοῦ τὰς ἐπιστολάς φασι, τὰ δὲ ἄλλα τῶν Περιπατητικοῦ Ἀρίστιππος. Stilponem autem, quamquam sub eius nomine novem dialogi ferebantur La. II 120, e Panaetii iudicio inlitteratum fuisse celeberrimus eius νανῶν pro-

dit his verbis circumscriptus II 64 *Πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος Ξενοφῶντος Ἀντισθένους Αἰσχίνου· διστάζει δὲ περὶ τοῦ Φαιδροῦ καὶ Εὐκλείδου, τοὺς δὲ ὄλλοις ἀναγεῖ πάντας*<sup>1</sup>. Brysonis igitur Heracleotae, Socratis discipuli reiecit disputatunculas, si quidem e Theopompi testimonio hoc re vera est conligendum, quod voluit Ueberwegius ‘über die Echtheit der Platonischen Schriften’ p. 186 cf. Athenaeus p. 508 C: si vero iure hanc διατριβῶν vocis interpretationem respueris, restat κανόνος supra descripti auctoritas, qua Bryso in inlitteratorum hominum serie ponitur, sicut etiam ipse Socrates et Menedemus. Vbiique igitur ad unum eundemque Panaetium revertimur illius indicis ducem facemque: unde orta est suspicio nostra *Ἀριστίππον*, philosophum e luculento Panaetii testimonio inlitteratum, sub captiosissima Philippi persona latere.

Neque ceteroquin indicem mendis esse inmunem sibi Ritschelius persuasit in opusc. vol. I p. 185 hunc in modum disserens ‘Fatemur tamen suspectum videri in Diogenis prooemio Ξενοφάνης nomen. Nec enim illum potissimum credibile est vel ab Aristotelis scribendi fertilitate tam prope afuisse vel omnino inter πολυγράφους locum habuisse. Scripsit Diogenes, nisi fallimur Ξενοκράτης. Quo efficitur ut Democriteorum multitudo librorum inter 215 et 400 substiterit’. Expulso autem importuno Xenophanis nomine iam licet ultiro progredi et ipsius Democriti nomen acri impetu tentare. Quid quod eidem philosopho Thrasyllus, criticus modicae

<sup>1</sup> Bahnschius, quem discrepantiam inter II 84 et II 64 intercedere non fugit, perperam post haec verba II 64 *Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος Ξενοφῶντος Ἀντισθένους Αἰσχίνου* Aristippi nomen intrudere vult: qua re *κανόνος* severitas auctoritasque prorsus extinguitur. Quid vero nosmet emendatione nostra profecerimus, legas, si tanti est, in Mus. Rhen. nov. vol. XXIV p. 187. — Ceterum scripta Aristippi nomine circumlata quac fortasse iam Theopompo Chio, certo Arcesilaoo Academicoo (cf. Laert. IV 40) erant nota, nihil esse nisi Aristippi facete dicta artificiis rhetoriciis expolita et fusius dilatata, facillime intellegitur conlatis illorum scriptorum titulis et dicteris Aristippo adsignatis: veluti

Laert. II 84 *Πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας ὅτι κέκτηται οἴνον παλαιὸν καὶ ἔταίρας.*  
*Πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας ὅτι πολυτελῆς ὁψωνεῖ.*

‘Ἐπιστολὴ πρὸς Ἀρήτην τὴν θυγατέρα.

Laert. II 76 *Πολυξένου ποτὲ τοῦ συμφιστοῦ εἰσελθόντος πρὸς αὐτὸν καὶ θεασαμένου γυναῖκας τε καὶ πολυτελῆ ὁψωνίαν κτλ. 74 πρὸς τὸν αἰτιώμενον, ὅτι ἔταίρος συνήρχει κτλ. 75 πρὸς τὸν ὀνειδίσαντα αὐτῷ πολυτελῆ ὁψωνίαν κτλ. 72 τὰ ἄριστα ὑπετίθετο τῇ θυγατρὶ Ἀρήτῃ κτλ.*

tantum severitatis, septuaginta fere tribuit libros: ut nihil dicam de Suida duos omnino libros pro genuinis habente. Congesta vero omnium ψευδεπιγράφων mole, quorum memoria ad haec tempora propagata est (cf. Mullach in Democriti fragm. p. 155, Val. Rose de Arist. libr. ord. p. 7 ss.) viginti librorum numerum vix consequimur. At fere ducentos olim vel trecentos in bibliothecis iacuisse Ritschelii computi comprobarent, nisi probabili conjectura illam notationem prorsus a Democriti memoria segregaremus. Quoties enim libri manuscripti fluctuant in Ξενοφάνης Ξενοκράτης, toties fere idem accidit in Ἀημήτους et Ἀημόκριτος nominibus: cuius rei haec exempla habe consignata: Vitruv. in praef. l. VII. Laert. VIII 75 Suid. v. Δαμόκριτος Auct. cert. Hom. et Hes. p. 34 West., Athen. p. 139. cf. Sengebusch diss. Hom. I p. 92. Proclivi igitur conjectura Demetrium etiam nostro vindicamus loco: quod nosmet iure fecisse nemo infitiabitur qui huius Laertii testimonii haud sit immemor V 80 πλὴθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ σχεδὸν ἄπαντας παρελήλακε (Demetrius Phalereus) τοὺς καὶ αὐτὸν περιπατητικοὺς<sup>1</sup>.

## III.

Laert. I 18. Τοῦ δὲ ἡθικοῦ γεγόνασιν αἱρέσεις δέκα, Ἀκαδημιᾶς Κυρηναῖκή Ἡλιακή Μεγαρική Κυνική Ἐρετρική Διαλεκτική Περιπατητική Στατική Ἐπικούρειος. Ἀκαδημιᾶς μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας προσέστη Πλάτων, τῆς μέσης Ἀρκεσίλαος, τῆς νέας Δακύδης. Κυρηναῖκῆς Ἀρίστηπος δὲ Κυρηναῖος, Ἡλιακῆς Φαιδών δὲ Ἡλεῖος, Μεγαρικῆς Εὐκλείδης Μεγαρεὺς, Κυνικῆς Ἀντισθένης δὲ Ἀθηναῖος, Ἐρετρικῆς Μενέδημος Ἐρετριεὺς, Διαλεκτικῆς Κλειτόμαχος Καρχηδόνιος, Περιπατητικῆς Ἀριστοτέλης Σταγειρίτης, Στατικῆς Ζήνων Κιτιεύς, ή δὲ Ἐπικούρειος ἀπ' αὐτοῦ κέληται Ἐπικούρον.

Bahnschius hac nominum serie bis usus est, at utroque loco infelicissime. Quem audi p. 23 ita disserentem: 'Inter decem illas sectas ethicas quum dialecticam quandam, cuius origo ad Clitomachum refertur, enumeratam inveniamus, in ipsa Clitomachi vita

<sup>1</sup> Sponte intellegitur scriptorum Zenonis numerum aliquanto sed haud multo minorem fuisse quam 215: si quidem Zeno iure inter πολυγράφων seriem refertur. Inde comparet, qua neglegentia pigritiave Laertianus index VII 4 conscriptus sit: quem omnibus numeris integrum tradidisse Dioclem hoc exstat indicium a Laertio stolidè propagatum VII 38 ἔστι μὲν οὖν αὐτῷ καὶ τὰ προγεγραμμένα βιβλία πολλὰ (Laertius ne quadraginta quidem titulos recensuit) ἐν οἷς ἐλάλησεν ὡς οὐδὲς τῶν στωικῶν. In πολυγράφων societate eius nomen X 26 memoratur.

eius sectae ne mentio quidem iniecta est'. p. 46. 'In prooemio postquam alio duce inter decem sectas philosophas etiam dialecticam, quam Clitomachus condidit, recensuit Laertius addit Hippobotum neque Cynicae neque Eliacae neque dialecticae nomen sectae tribuisse. Vnde adparet, Hippobotum post Clitomachi aetatem, id est, aut primo a. Chr. saeculo aut etiam posteriori tempore scripsisse'. Conf. Laert. I 20 Ἰππόβοτος δ' ἐν τῷ περὶ αἰρέσεων ἐννέα φησὶν αἰρέσεις καὶ ἡγωγὸς εἶναι πρώτην — Κυρηναϊκὴν, τετάρτην Ἐπικούρειον, πέμπτην Ἀντικέρειον, ἕκτην Θεοδώρειον, ἑβδόμην Ζηνώνειον τὴν καὶ Στατικὴν, διδόνην Ἀκαδημαϊκὴν τὴν ἀρχαίαν, ἐννάτην Περιπατητικήν, οὕτε δὲ Κυνικὴν οὕτε Ἡλιακὴν οὕτε Διαλεκτικήν. Ne alias illius argumentationis offenseiones recensemus: sat est antestari, quis semioperta facie, assumpta obiter Clitomachi Carthaginiensis persona tam impudenter incedat Bahnschiiive acumen bis ludificari studuerit. Ecce tenemus Clinomachum dialecticum, de quo Suidas v. Σωκράτης luculenter exponit: — φιλοσόφους δ' εἰργάσατο — Εὐκλείδην Μεγαρέα καὶ αὐτὸν ὑδίαν συστησάμενον σχολὴν ἦτις ἀπ' αὐτοῦ ἐλήφθη Μεγαρική, ἀπὸ δὲ Κλεινομάχου τοῦ μαθητοῦ Εὐκλείδου ἐκλήθη Διαλεκτική. — Βρίσοντα Ἡρακλεώποτην δὲ τὴν ἐριστικὴν διαλεκτικὴν εἰσήγαγε μετ' Εὐκλείδον, ηὔξησε δὲ Κλεινόμαχος καὶ πολλῶν δι' αὐτῆς ἐλθόντων ἐλήξειν εἰς Ζήνωνα τὸν Κιτιέα. Quo facilior autem loci Laertiani expeditio est — ubi Κλεινόμαχος διὰ Καλχηδόνιος<sup>1</sup> scribendum esse vix est cur memoremus — eo implicatiōr illius Clinomachi reliqua memoria. Nihil hic a dubitatione liberum, neque patria neque praceptorēs neque ipsa scholae dialecticae conditio. Quid quod Laertius alibi (II 98) a Dionysio Calchedonio refert dictam esse scholam Dialecticam: quem agnoscunt cognomine διαλεκτικὸς addito idem Laertius II 98 Strabo in libr. XII Eusebius in praepar. Ev. XIV c. 5. A quo Dionysio Clinomachus Laertianus etiam patriam videtur mutuatus esse: si quidem alibi Θούριος vocatur, non Καλχηδόνιος II 112: τῶν δὲ ἐπί Εὐκλείδου ἐστὶ — Κλεινόμαχός τε διὰ Θούριος, διὸ πρῶτος περὶ ἀξιωμάτων καὶ κατηγορημάτων καὶ τῶν τοιούτων συνέγραψε. Etiam quod una cum Lysia Thurio ponitur in indice dialogi Speusippei (Laert. IV 4 Κλεινόμαχος ή Λυσίας ἄ) fortasse ad Thuriorum patriae communionem spectat: atque aliunde constat inter sectatores dialecticae criticaeque scholae praevaluisse numero Thurios. Hoc enim Sextus Empiricus adv. Mathem. VII 13 his verbis indicavit: ἐπὶ

<sup>1</sup> Vel διὰ Χαλκηδόνιος, id quod re vera cod. Laurent. 69, 35 praebet.

δὲ τὸ λογικὸν κατηγράθησαν μέρος οἱ περὶ Παντοίθην καὶ Ἀλεξίνον καὶ Εὐβούλιδην καὶ Βρύσωνα Διονυσόδωρόν τε καὶ Εὐθύδημον Θούριον. — Impeditior est de praceptoribus quaestio. Una quamquam voce et Laertius v. Σωκράτης Euclidis eum usum esse disciplina testantur: tamen ipsis conjecturae adminiculis novum diversumque eius praceptorē tenebris eruere non dubitamus, ne de Clinomachi aetate omnia transvorsum agantur. Quid quod Suidas v. *Πύρρων* haec exhibet: διήκονος τοῦ *Κλεινομάχου μαθητοῦ*, idem ille Suidas qui Brysonem aut ex Euclidis aut ipsius Socratis profectum esse magisterio atque Euclidis auxilio τὴν ἐριστικὴν διαλεκτικὴν, postea a Clinomacho auctam, incohasse profiteatur. At ipsis testimoniis antiquissimis — si quis fortasse Suidae addubitet auctoritatem — efficitur Brysonem<sup>1</sup> e veterum fuisse Socraticorum numero Platonisque atque Eudoxi aetate supparem, ne dicam superiorem: conf. Theopomp. ap. Athen. 508 C. Platon. Epist. p. 360. Xenophont. sympos. Quare quamvis dubitanter Suidae locum in hanc formam redigam: διήκονος *Βρύσωνος τοῦ Κλεινομάχου καθηγητοῦ* (codd. *μαθητοῦ*): qua conjectura novus ut dixi protrahitur Clinomachi magister, Bryso Heracleota.

Iam vero restat ut disceptationem illam de Hippoboto a Bahnschio haud prospere institutam sustentemus, ita quidem ut prorsus segregetur a Clinomachi vel Clitomachi nomine. Ut vero tandem aliquando Hippoboti memoria immeritae eripiatur oblivioni, e cuius thensauris Diocles sat multa in librum suum recepit: in primis cavendum est, ne intempestivius quaestionem aetatis temtemus. Quam facillime solvemus, si de Hippoboti ingenio consilio eiusque libri frustis in Laertii fluctibus natantibus accurate fuerit expositum. Proficiscendum autem est ab illo prooemii loco, quem supra descriptimus. Nullam igitur Hippobotus agnovit φιλοσόφων αἰρεσιν, nisi quae certis δόγμασι circumscripta sit. Ergo Eliacos reprobavit nulla excellentes peculiari doctrina: Dialecticos nomine solo contentionisque studio a Megaricis diversos: Pyrrhoni qui nihil definiebant neque ulli addicti erant sententiae: Academiae mediae novaeque sectatores, qui de iudicii ambiguitate cum

<sup>1</sup> Bryso, e cuius disciplina Pyrrho Theodorus Crates Cynicus prodierunt, quo iure Stilponis filius dici possit, non dispicio: quam ob rem non inconsulte aget, qui Laertii verba in hanc formam deflexerit ἡκουσε *Βρύσωνος* ἦ (codd. τοῦ) Στιλπωνος ὡς Ἀλέξανδρος ἐν διάδοχαις. Accedit quod Achaeum quendam Laertius VI 85 Brysonis vocat patrem. — Fortasse tamen duo diversi distinguendi sunt Brysones, alter Stilponis filius, alter Herodori Heracleotae, cf. Mueller fragm. historic. vol. II p. 27.

Pyrrhoniis consentiunt: Cynicos denique, quibus propriam quandam concedebat ἔνστασιν βίον, non certain novamque philosophandi rationem<sup>1</sup>. In hac κανόνος severitate eo prodiit, ut Cratetem negaret e Diogenis Cynici profectum esse disciplina<sup>2</sup>: quod si recte statuit, successionem statuit legitimam continuamque, quae necessario requiritur ad αἰρέσεως notionem stabiliendam, nullam fuisse Cynicorum. Idemque inde perspicitur consilium quod Zenonem Stoicum dixit dialecticam a Diodoro Megarico accepisse<sup>3</sup>: ita ut multa ad Stoicam condendam scholam Megarici attulisse viderentur, nihil Cynici.

Accedit alterum quoddam argumentum, unde aliquid ad Hippoboti ingenium cognoscendum proficiamus. Idem enim, qui tot philosophos a solito αἰρέσεως receptaculo interclusit, totque talium αἰρέσεων nomina proprio marte expunxit: hac in re plane diversum probat iudicium, quod uni Hedonicorum sectae, quam ceteri agnoverunt scriptores, et Cyrenaicam et Αννικέρειον et Θεωδώρειον quodammodo exsecuit nominibus illas placitisque inter se discrepantes. E quo hoc certe sequitur, eum in augustiis argutiisque harum sectarum inprimis esse versatum.

Eiusdem Hippoboti haec nobis est servata sapientum tabula I 42 Ἰππόβοτος δ' ἐν τῇ τῶν φιλοσόφων ἀναγραφῇ Ὁρφέα Λίνον Σόλωνα Περιτανδρὸν Ἀνάχαιον Κλείβουλον Μύσωνα Θαλῆν Βιαρτα Πιττακὸν Ἐπίχαρμον Πυθαγόραν hac re insignita, quod primores tabulae locos fabulosi illi sapientes sibi vindicant Orpheus Linus et qui casu excidit Musaeus. Quid vero hi ipsi sibi velint, e Laertii prooemio facile intellegas. His enim tamquam administris arreptis contra Aegyptiacos dimicatum est antiquarios, qui philosophiae origines ab Hephaesto Nili filio repetendas venditabant. Contra Hippoboton et qui eum lubenter sequitur Diocles praestet esse, Aegyptorum deprecari fastum, priscas antestari fabellas Graecanicas. Quod vero Dioclem dixi hac in re Hippoboti secutum esse auctoritatem, id haud mediocriter eo comprobatur, quod semel in huius prooemii parte eius iudicio diserte adversatur: si quidem iure exceptio dicitur confirmare regulam I 5 οἱ δὲ τὴν εὑρεσιν διδόντες ἐκείνους παράγονται καὶ Ὁρφέα τὸν Θρᾷκα λέγοντες

<sup>1</sup> conf. Laert. VI 103 αἵρεσιν καὶ ταύτην εἶναι ἐγκρίνοντες τὴν φιλοσοφίαν, οὐ, καθά φασί τινες, ἔνστασιν βίον.

<sup>2</sup> Laert. VI 85 Ἰππόβοτος δέ φησιν οὐ Διογένους αὐτὸν μαθητὴν γεγονέναι ἀλλὰ Βρύσωνος τοῦ Ἀχαιοῦ.

<sup>3</sup> Laert. VII 25 συνδιέτιψε δὲ καὶ Διοδώρῳ καθά φησιν Ἰππόβοτος.

φιλόσοφον γεγονέναι καὶ εἶναι ἀρχαιότατον. ἐγὼ δὲ εἰ τὸν περὶ θεῶν ἔξαγορεύσαντα τουαῦτα χρὴ φιλόσοφον καλεῖν, οὐν οἶδα τίνα δεῖ προσ-  
αγορεύειν τὸν πᾶν τὸ ἀνθρώπειον πάθος ἀφειδοῦντα τοῖς θεοῖς προσ-  
τηγίαι καὶ τὰ σπανίως ὑπὸ τυνιον ἀνθρώπων αἰσχουργούμενα καὶ τῷ  
τῆς φωνῆς ὁργάνῳ. Cetera autem, quaecunque de Lino Musaeo que  
et ipsius Orphei morte proferuntur mera sunt Hippoboti ver-  
ba: atque idem fortasse etiam de partibus I 1—3, 6—12 sta-  
tuendum, quae adversariorum opiniones complectuntur, eas scilicet,  
qui Hippoboto bilem moverunt. Quae utut sunt, Dioclem libere  
profiteor ipso Hippoboti libro ad prooemium componendum usum  
esse neque iure me ipsum Hippobotum inter Demetrii Magnetis  
auctores numerasse, vid. Mus. Rhen. XXIV p. 203. Certo illi se-  
ctarum sapientumque indices a Demetrio non profecti sunt, cui  
nulla fuit imposita necessitas talia memorandi. Quod vero V 91  
et IX 40 Hippoboti et Demetrii simul de eadem narratione afferun-  
tur testimonia, hoc non eo est detorquendum, ut alterius testimo-  
nium inde sequatur ex altero pendere: cum Diocles utrumque scri-  
ptorem indicet eadem de re idem testari.

Libri Hippoboti, qui περὶ αἰρέσεων inscribitur, iterum II 88  
mentio facta est, ubi placita configuntur Hedonicorum. Nihil autem  
luculentius quam totam illorum placitorum recensionem profectam  
esse ab Hippoboto: diligentissime enim eo loco trium illarum con-  
similium sectarum argutiae deinceps enumerantur, quas ita distin-  
xisse nullum scio nisi Hippobotum. Sic vero in hac disputatione  
ansam nancti sumus, qua Hippoboti definiamus aetatem: dummodo  
testes, ad quos in illa placitorum recensione provocatur, ab ipso  
concedas Hippoboto allatos fuisse: dico Panaetium II 87 Meleagrum  
II 92 Clitomachum II 92, quorum nomina in aliorum placitorum  
recensionibus non occurrunt. Hippobotum igitur adparet primo  
a. Chr. saeculo floruisse, id est, post Panaetii aetatem, sed ante  
Dioclem priorum imperatorum aequalem.

Forte vero quispiam mihi opprobrio vertat quod Dioclem  
Laertii auctorem, non Laertium ipsum in prooemio loqui statuam:  
cui nihil responderem, quoniam quidquid ex accuratiore fontium  
Laertii contemplatione conclusimus consectarium, subitariis eiusmodi  
dubitacionibus non tangitur, nedum extinguitur; nisi certissimo  
argumento demonstrare licaret, qualem se in ipso illo prooemio  
praestiterit Laertius. Attendas autem quaeso ad haec I 21 Ἐπι-  
δὲ πρὸ διλίγον καὶ ἐκλεκτική τις αἰρέσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποιάμωνος  
τοῦ Ἀλεξανδρέως, ἐκλεξαμένου τὰ ἀρέσαντα (ἀρέσκοντα F) ἐξ ἐκάστης  
τῶν αἰρέσεων. ἀρέσκει δ' αὐτῷ καθά φησιν ἐν τῇ στοιχείωσι, κριτή-

φια τῆς ἀληθείας εἶναι (δύο omitt. F. G. H. N.) τὸ μὲν ὡς ὑψ' οὐ γίγνεται ἡ κρίσις, τουτέστι τὸ ἡγεμονικὸν· τὸ δὲ ὡς δι' οὗ οἶον τὴν ἀκριβεστάτην φαντασίαν· ἀρχάς τε τῶν ὅλων τήν τε ὥλην καὶ τὸ ποιοῦν (ποιόν F. G. H.) ποιότητά τε καὶ τύπον. ξεῖ οὗ γὰρ καὶ ὑψ' οὗ καὶ ποιόν (ποιόν F. G. H.) καὶ ἐν ᾧ. τέλος δὲ εἶναι ἐφ' ὁ (ἐφ' ὦ N.) πάντα ἀναφέρεται, ζωὴν κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν τελείαν οὐκ ἀνευ τῶν τοῦ σώματος κατὰ φύσιν καὶ τῶν ἔκτος (ἀγαθῶν omitt. F. G. H. N.).

Quae verba misere ab Aegidio Menagio usurpantur ita tom. I. p. 145 Huebn. disserente: ‘Iunior Traiano et Hadriano atque etiam Pio Laertius fuerit necesse est. At non longe post eorum tempora vixisse patet, si quidem in praefatione operis, cum de secta Electeda disserit, ait eam nuper πρὸ δλίγον a Potamone Alexandrino fuisse introductam: fuit autem Potamo sub Augusto et post Augustum, ut refert Suidas’. At quem tam perversi fingamus ingenii, ut πρὸ δλίγον factum esse scribat quod re vera longo duorum saeculorum spatio interposito a scriptoris aetate abest: immo talia manuum sollertia peccare solet, si longinquo scribendi munere pusillum compilatoris ingenium aliquantis per occalluit. Diocles vero suo iure illud πρὸ δλίγον posuit: si quidem de Potamone Suidae valet testimonium Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος πρὸ Ἀγύοιστον καὶ μετ' αὐτόν: atque ipsa dogmatum quam descripsimus brevissima recensio nullam plane cognationem prae se fert cum Neoplatoniconrum doctrina. Sed dici nequit, quibus machinis se recentiores philosophiae scriptores torserint, ut inter Laertii et Potamonis aetatem concordiam quandam instaurarent utique discordem: quorum rationes accurate et copiose expositas, si tanti est, ex Heumannii act. philos. vol. I p. 327 ss. et Bruckeri hist. philos. tom. II p. 623 ss. VI p. 400 ss. quaeras. Cf. A. Richter Plotins Lehre vom Sein, Halle 1866, p. 4.

Verum mirifice illo Laertii sive Dioclis de Potamone testimonio abusus esse videtur Iacobus Sponius in itinerario suo Potamum Atticae ratus fuisse Laertii patriam: cui adstipulatur Harduinus ad Plin. N. H. tom. I p. 424. Forte enim in adversariis suis aliquando adnotaverat: Laertius Potamonius — Potamonis scilicet assecla —; in quallem opinionem auctor quoque Laertii vitae, quae Anglicae praecedit versioni (Londini 1688) inciderat (cf. Fabric. vol. V p. 578 Harl.). Postea illius loci immemor unde haec observatio erat nata, Sponius ‘Potamonium’ intellexit ‘Potami municipem’, Harduinumque in eundem induxit errorem. Nihili est, quod de eadem re Fabricius vol. V p. 566 adnot. K. disseruit.

## IV.

Laert. I 42 Ἔρμιππος δ' ἐν τῷ περὶ τῶν σοφῶν ἐπιτακαΐδεκά φησιν ὡν τὸν ἑπτὰ ἄλλους ἄλλως αἰρέονται· εἶναι δὲ Σόλωνα Θαλῆν Πιττακὸν Βίαντα Χείλωνα Κλεόβουλον Περιλανδρον Ἀνάχαρσον Ἀκονσίλαον Ἐπιμενίδην Λεώφαντον Φερεκεύδην Ἀριστόδημον Πυθαγόραν Λᾶσον Χαρμαντίδον ἥ Σισυμβρίνον ἥ ὡς Ἀριστόξενος Χαβρίνον Ἐρμιονέα, Ἀναξαγόραν.

Haec nominum enumeratio quibus vitiis laboret, non statim comparet, quoniam gravissimam offensionem Aegidii Menagii opera non tam amovit quam obliteravit. Ut enim Hermippium suppleret numerum sapientumque septendecim redintegraret nomina, Mysonem suo introduxit periculo, quem libri manuscripti uno consensu a ceterorum nominum societate intercludunt. At librorum memoriam non solum laeunis, verum etiam mendis infectam esse, Anaxagorae nomen dilucide indicat a sapientum plebecula prorsus segregandum: neque de solita cogitandum est confusione, qua Ἀναξαγόρας Ἀναξιμένης Ἀναξίμανδρος voces a librariis commutantur. Minoris quidem momenti est, quod post Lasi Hermioneensis mentionem plenisime exhibitam nullum amplius exspectaveris Sapientis nomen: sed eo intentius quartam urgeo offensionem. Hermippum enim quis sibi persuadeat Dicaearchi auctoritatem vel ignorasse vel neglexisse qui ante eum consimilem Sapientum enumerationem instituerat? I 41 Δικαίαρχος δὲ τέσσαρας ὅμολογον μένοντος ἡμῖν παραδίδωσι Θαλῆν Βίαντα Πιττακὸν Σόλωνα. ἄλλους δὲ ὄντοι μάζει ἔξι, ἔξι ὡν ἐκλέξασθαι τρεῖς, Ἀριστόδημον Πάμφυλον Χείλωνα Λακεδαιμόνιον (Rooper Λακεδαιμονίους) Κλεόβουλον Ἀνάχαρσον Περιλανδρον. Cum igitur utrumque cogitari possit, aut ipsius Hermippi aut librariorum culpa Pamphyli intercidisse nomen, quid quaeso optione data tibi facilius sumpseris? Praesertim cum numerorum incongruentia librariorum luculenter coarguat neglegentiam. Septendecim enim cum exspectemus nomina, quindecim tantum agnosco. Nihil enim ad rem Anaxagoras: cuius nomen **ΑΝΑΞΑΓΟΡΑΣ** nonnullis paulatim assutis litteris ex genuinis illis crevisse ductibus **ΕΞΑΚΓΕΙΑΣ** facile tibi persuadeas comparato Suidae testimonio: *Λᾶσος Χαρβίνον Ἐρμιονεὺς πόλεως τῆς Ἀργείας* cum Laertiano illo: *Λᾶσον Χαρμαντίδον ἥ Σισυμβρίνον ἥ ὡς Ἀριστόξενος Χαβρίνον Ἐρμιονέα ἥ Ἀργείας*.

Vt igitur iustum suppleamus Hermippī indicis numerum, duobus opus est nominibus: ac sponte se offerunt Pamphylius Dicaearchi auctoritate, Platonis Myso commendatus. Quibus cum

suum post Chilonem locum designaverimus, e quo exciderunt librarii oculis ob litterarum similitudinem aberrantibus **ΙΛΩΝΑ** — **ΥΛΟΝ** — **ΥCΩΝΑ** — hanc totius indicis licebit proponere speciem: Σόλων Θαῦην Πιττακὸν Βίοντα Χείλωνα Πάμφυλον Μύσωνα Κλεόβουλον Περιάνδρον Ἀνάχαρσον Ἀκονοῦλαν Ἐπιμενίδην Λεώφαντον Φερεκύδην Ἀριστόδημον Πυνθαγόραν Λᾶσσον Χαριμαντίδουν ἥντις Ἀριστόξενος Χαρβίνου Ερμιονέα ἔξι Ἀργείας<sup>1</sup>.

## V.

Laert. II 60 Διεβάλλετο δ' ὁ Αἰσχίνης καὶ μάλισθ' ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετρίων ὡς τοὺς πλείστους διαλόγους ὅντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης· ὃν οἱ μὲν καλούμενοι ἀκέφαλοι σφόδρος εἰσὶν ἐκλεκτιμένοι καὶ οὐκ ἐπιφαίνοντες τὴν Σωκρατικὴν εντονίαν· οὓς καὶ Περιστρατος (Sic B. H.) ὁ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνουν· καὶ τῶν ἐπτὰ δὲ τοὺς πλείστους Περσαῖς φρονὶ Παυσιφῶντος εἶναι τοῦ Ἐρετρικοῦ, εἰς τοὺς Αἰσχίνουν δὲ κατατάξαι. ἀλλὰ καὶ τῶν Ἀντισθένους (Sic B. G. H.) τόν τε μικρὸν Κῦρον καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐλάσσων καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ τοὺς τῶν ἄλλων διεσκευώρηται. (codd. δὲ ἐσκευώρηται) Οἱ δ' οὖν τῶν Αἰσχίνουν τὸ Σωκρατικὸν ἥθος ἀπομεμαγένειν εἰσὶν ἐπτά· πρῶτος Μιλιαράδης, διὸ καὶ ἀσθετέστερόν πως ἔχει. Καλλίας Ἀξιοχος Ἀσπασία Ἀλκιβιάδης Τηλανγῆς Ρίνων.

Id quod saepe edoctum est usu singulorum locorum sententiam conexumque inter compilatorum manus dissecando addendo conglutinando in diversam detorqueri sententiam: id hoc quoque capite experti sumus. Cuius partes dummodo ea qua decet severitate enarrantur, id erit consectarium Laertium notationes quasdam eximii pretii perperam coniunxisse eaque coniunctione pristinam vim admodum sive obscurasse sive deflexisse. Proficiscor autem ab insigne illo loco II 61 καὶ τῶν ἐπτὰ δὲ τοὺς πλείστους Περσαῖς φρονὶ Παυσιφῶντος εἶναι τοῦ Ἐρετρικοῦ, εἰς τοὺς Αἰσχίνουν δὲ κατατάξαι.

<sup>1</sup> Cyril. libr. I contr. Julian. Πορφύριος μὲν οὖν ὁ πικροὺς καθ' ἡμῶν καταχέας λόγους καὶ τῆς χριστιανῶν θρησκείας μογονονχί κατορχούμενος τὸν ὀνομασμένους σοφὸν, τὸν ἀριθμὸν ὅντα ἐπτὰ, τὴν τοιάνδε κλῆσιν ἀρτίασαι φησὶν ἐξ αἰτίας τοιᾶσδε. γράφει δὲ οὗτος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ τῆς φιλοσόφου ἱστορίας. Ἐννέα δὲ ὅντων ἐπτὰ κληθῆναι σοφοὶν ἐξ αἰτίας τοιαύτης κτλ. Scribendum est: γράφει δὲ οὗτος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ τῆς φιλοσόφου ἱστορίας, τεσσάρων (ι. pro Θ) δὲ ὅντων. Ἐπτὰ κληθῆναι κτλ. — Clem. Alex. Strom. I, 14, 61 (p. 129) Πάλιν ἀν̄ Χίλων τῷ Λακεδαιμονίῳ ἀναφέρουσι τὸ μηδὲν ἄγαν. Στράτων δὲ ἐν τῷ περὶ εὐρημάτων Σφρατοδήμῳ τῷ Τεγεάτῃ (Scribendum Σωδάμῳ τῷ Τεγεάτῃ) προσάπτει τὸ ἀπόφθεγμα. Conf. Schol. Eurip. Hippolyt. 263.

Atque τῶν ἐπτὰ vocibus tralatitia est opinio septem illos significari dialogos, quorum indicem retulit Laertius, opponique τοῖς καλούμένοις ἀκεφάλοις priore notatis sententia. Quod si sumimus, est cur in sequentibus verbis offendamus. Quid quod idem Pasiphon, qui τῶν ἐπτὰ πλείστους, id est ut minimum ponamus, ex septem dialogorum numero quinque fabricasse dicitur, dici nequit hos quinque εἰς τὸν Αἰσχίνον κατατάξαι, id est, in duorum reliquorum seriem: etenim nulli videbitur probabile, si quis diserta verba τὸν Αἰσχίνον illicita interpretationis via ad τὸν καλούμενον ἀκεφάλον referre studeat aperti ssimo Laertii testimonio adversante: οὐκ καὶ Περιστρατος δὲ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνον. At quis hercle sano sobrioque iudicio tali impertiat falsario, qualem se Pasiphon praestitit, praecipuos illos ingenii fructus, quorum singularis bonitas et praestantia hac in re cernitur, quod a Menedemo critico probatissimo (cf. Laert. II 133) ne Aeschini quidem imputabantur Socratico, sed ipsi Socrati. Athen. p. 611 D δὲ τῶν φερομένων ὡς αὐτοῦ διαλόγων θαυμάζομεν ὡς ἐπιεικῆ καὶ μέτριον, πλὴν εἰ μὴ ὡς ἀληθῶς τοῦ σοφοῦ Σωκράτοντος ζοτὶ συγγράμματα, ἔχαρισθη δὲ αὐτῷ ὑπὸ Σινθίππης τῆς Σωκράτους γνωμήδος μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον, ὡς οἱ ἀμφὶ τὸν Ἰδομενέα φασίν (cf. Suid. v. Ἰδομενεύς ἴστορικὸς ἔγραψεν ἴστορίαν τῶν κατὰ Σαμιοθράκην scrib. τῶν κατὰ Σωκράτην Socratis aequalium historiam) Laert. II 61 οἱ δὲ οὖν τῶν Αἰσχίνον τὸ Σωκρατικὸν ἥθος ἀπομεμογμένοι εἰσὶν ἐπτά. Nec minus displicet, fatemur, quod Menedemus ab ipsius discipulo illusus atque ad errorem perductus sumitur: quamvis chronologicas concedamus non obstare rationes. Cf. Laert. VI 73. Accedit quod Persaeus, quo cum Menedemus diuturnas exercuit inimicitias, praestantissimos illos libros ex eiusdem schola profectos esse aegre sibi persuasisse putandus est. Immo veri est simillimum Persaeum Eretricorum disciplinae reprobrasse, quod hic calumnia, fraude ille contra eundem peccarent Aeschinem. Etiam hoc est quaerendum, quinam fuerint illi dialogi, quos Aristippus Cyrenaicus vivo Aeschine (Laert. II 62) in suspicionem vocavit: non hercle οἱ καλούμενοι ἀκέφαλοι.

Haec qui perpenderit omnia, non dubitavit quin iure illi vulgari opinioni, a qua profecti sumus, fidem esse denegandam cum Welckero (Mus. Rhen. II p. 402) et C. Fr. Hermanno (Platon. philos. hist. p. 585) statuam. Nihili certe est, quod Ueberwegius p. 187 in contrariam disputavit partem: 'Dass auch, inquit, der unechten Dialoge nach Suidas sieben waren, begründet höchstens eine gewisse Möglichkeit, aber noch durchaus keine Wahrscheinlichkeit einer Verwechslung'. Immo si fortasse Suidae testimonio

destitueremur, ex ipsius Laertii verbis colligendum esset septem fuisse numero qui vocentur ἀκεφάλους. Neque recte Ueberwegius confusionem ipsi Laertio imputandam cogitat, cuius verbis quandam inhaerescere obscuritatem concedo, errorem nego. ‘Dass ein Fälscher wie Pasiphon der Eretrier, der den lebendigen Traditionen noch sehr nahe stand, von der Manier der Socratiker so auffallend abgewichen sei, ἀκεφάλους zu schreiben ist wenig glaublich’. At Persaei Pasiphontis aequalis constat testimonio. Ceterum sponte intellegitur illam incompositam dialogi speciem a Pasiphonte ea ratione usurpatam esse, ut ipsius externae formae rudi vetustate priscaque simplicitate suspicio adaugeretur illa Aeschinea re vera a Socratis ingenio manuque ducere originem. ‘Noch weniger aber wohl, dass dann Persaeus in seiner verwerfenden Kritik auf halbem Wege stehen geblieben sei und nicht auch die Unechtheit der übrigen ausgesprochen oder dass Diogenes dies gerade zu sagen unterlassen habe’. Sed Laertius diserte illis ἀκεφάλους omnem abiudicat fidem his verbis οὐς καὶ Περίστρατος δὲ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνου, addens de complurium vera origine id quod Persaeus indagaverat. Erravit igitur Ueberwegius cum Susemihlio hac usus conclusione: ‘Wäre jene Vermuthung richtig, so würde dies (wie Susemihl Jahrb. Bd. 71 S. 704 mit Recht bemerkt) die Autorität der Angabe des Persaeus vermindern, weil dieser dann manche unechte Dialoge fälschlich für echt gehalten hätte’. Vnde tale aliquid sumptum sit, e silentio scilicet Laertii, satis dispicio: sed hoc est scriptorem torquere, non interpretari. Etenim qua necessitate, quaeso, Laertius coactus erat, ut totam Persaei de omnibus libris Aeschineis exponeret iudicium? — Verum enim vero Ueberwegio misso Laertium ab hac neglegentiae vituperatione liberare nequeo, quod has quattuor notationes, quas infra ponam, e diversis depromptas fontibus, rudi ac fere Cyclopea manu conexuit:

I) Διεβάλλετο δὲ ὁ Αἰσχίνης καὶ μάλισθ' ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετρίως ὡς τὸν πλείστονς διαλόγους ὄντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο λαμβάνων παρὰ Σωνθίππης. (Haec, sicut etiam praecedentia, memoriam redolent Idomenei cf. Athen. p. 611 D.)

II) Οἵ μὲν καλούμενοι ἀκέφαλοι σπόδος εἰσὶν ἐκλελυμένοι καὶ οὐκ ἐπιφαίνοντες τὴν Σωκρατικὴν εὐτονίαν, οὖς καὶ Περίστρατος δὲ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνου. (Haec ex eodem fonte sumpta sunt, unde notatio quarta: opponuntur enim verba οὐκ ἐπιφαίνοντες τὴν Σωκρατικὴν εὐτονίαν et τὸ Σωκρατικὸν ἥθος ἀπομεμαγμένοι).

III) Τῶν ἐπὶτὰ τὸν πλείστονς Περσαῖός φησι Πασιφῶντος εἶναι τῷ Ἐρετρικῷ, εἰς τὸν Αἰσχίνου δὲ κατατάξαι. ἀλλὰ καὶ τῶν Ἀντ-

σθένους τὸν τε μικρὸν Κῦρον καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐλάσσων καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ τὸν ἄλλων διεσκευώσατο· (Huebnerus haud leviter peccavit, quod huius gravissimi loci vim tali perdidit interpretatione: ‘Antisthenis quoque parvum Cyrum et Herculem minorem et Alcibiadem ceterorumque libros diligentius excussit’. Ceterum non est neglegendum, quod in Antisthenis librorum indice huius minoris Herculis nec vola nec vestigium: sicut etiam ibidem illud ψευδεπίγραφον omissum est quod inscribitur Μαγικόν cf. Suid. s. v. Ἀντισθένης. — Pro eisdem Pasiphontis partibus Favorinus tragoe-dias Diogenis nomine circumlocutus habuit v. Laert. VI 73).

IV) Οἱ δὲ οὖν τῶν Αἰσχίνου τὸ Σωκρατικὸν ἥθος ἀπομεμαγμένοι εἰσὶν ἔπιτι. πρῶτος Μιλαδῆς, διὸ καὶ ὁσθενέστερόν πως ἔχει. Καλλίος Ἀξιόχος Ασπασίου Ἀλκιβιάδης Τηλανγής Πίνων· (Hi sunt, quorum integratatem Aeschineamque originem Panaetii comprobavit iudicium v. Laert. II 64).

Laertius vero alteram notationem primariae ita subiunxit, ut illud ὡν̄ temere interponeret: qua coniunctione falsa illa exoritur species, quasi ἀκεφάλοι sint in eorum dialogorum numero, qui Menedemo moverunt suspicionem. Atque iterum inconsulte egit, quod e tertio fonte nullo negotio transtulit illud τῶν ἔπιτι, non sentiens sive saltem non significans eosdem intellegendos esse ἀκεφάλους dialogos, quos iam altera notatio suppeditaverat.

## VI.

II 97 Ἡν δὲ δὲ Θεόδωρος πανιάπασιν ἀναιρῶν τὰς περὶ θεῶν δόξας. καὶ αὐτοῦ περιετύχομεν βιβλίῳ ἐπιγραφομένῳ Περὶ θεῶν, οὐκ εὑκαταρρονήτῳ. ἐξ οὐ φαντὶ Επίκουρον λαβόντα τὰ πλεῖστα εἴπειν.

Theodorei libri cognitionem laudemque ut potius Diocli tribuam quam Laertio non desunt quae suadeant: cui suspicioni adaugendae injecta Epicuri derisio non videtur opitulari, quoniam Dioclem consentaneum est talia non sine summa cautione memoriae prodisse, qualia Epicuri nomini famaeque male inservirent. At hac consideratione nihil effici contra Diocleam illius loci originem luculentissime ex eo appareat, quod tota illa Epicuri mentio gravissimis obnoxia est dubitationibus. Primum enim nulla omnino — quoad ex tot tantisque iudicare licet reliquiis — intercedit inter Theodori Epicurique doctrinam cognatio. Accedit deinde, quod ne obtrectatorum quidem malevolentia, uberrima ceteroqui consimilium opprobriorum genetrix, Epicuro Theodorei libri usum exprobravit. Cf. Laert. X 4. 14. Verum rem conficit, quod nullo pacto excogitari potest, qui Epicurus e libro περὶ θεῶν inscripto, in quo Graecorum de deiis opinione deinceps deridebantur, tanta ceperit doctrinae suaee incrementa, ut inde eum πλεῖστα εἴπειν iure dicatur. Quid quod unum sufficit verbum, quo hanc totam componamus litem, Εὐγέρεον verbum sub illis ΕΠΙΚΟΥΡΟΝ ductibus modice corruptis delitescens?